

Universitätsbibliothek Wuppertal

Artivm scriptores minores

Keil, Heinrich

Lipsiae, 1923

Fragmentum Bobiense de nomine et pronomine

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1978)

FRAGMENTVM BOBIENSE DE NOMINE ET PRONOMINE

DE NOMINE

Nam legimus apud Lucretium et Vergilium 'terrai frugiferae' pro terrae frugiferae et 'aulai medio' pro aulae, 'atque aurai simplicis ignem' pro aurae, item 'dives pictai vestis' pro pictae; apud Salustium quoque 'duobus senati consultis' pro senatus; apud Terentium etiam 'nihil ornati, nihil tumulti', item 'eius anui causa' pro ornatus tumultus anus; item apud Vergilium 'libra die somnique' pro diei, et apud Salustium 'dubitavit acie pars' pro aciei. sed haec omnia usurpando vindicavit sibi vetustas, posteritas explosit. omnis etiam nominativus secundae declinationis us pura terminatus praecedente i littera genitivum suum per duas i proferri faciat necesse est, ne minorem eum habeat numero syllabarum, cum vel superare genitivus vel certe debeat adaequare nominativum suum, ut Horatius Horatii. similiter et neutra eiusdem declinationis quae i habuerint ante um geminabunt i litteram ob eandem rationem, ut folium folii, otium otii, tugurium tugurii, peculium peculii, licet haec antiquitas per ἀποκοπήν, id est ablata i littera, enuntiaverit, ut ipse de se Horatius 'vatis Horati memorem sepulchro scalpe que|rellam', Vergilius 'pauperis et tuguri congestum est', item

Fragmentum de nomine et pronomine initio mutilatum e codice Vindobonensi 17 olim Bobiensi saec. VIII f. 11—14 editum est in analectis grammaticis Vindobonae a. 1837 p. 127—141. adscripta est discrepantia codicis Bobiensis (B)

2 DE NOMINE om. B 3 terrai frugiferae Ennius in annalibus Charisius p. 19, 1 frugiferae Ennius in annalibus exc. Char. p. 538, 27: cf. Enn. annal. v. 479 ed. Vahl. Lucretii exempla citavit Priscianus l. VII p. 285, 7 frugiferae B 4 aulai] Verg. Aen. III 354 atque] Verg. Aen. VI 747 5 dives] Verg. Aen. VIII 26 6 apud Salustium] Catil. 36 duobus senati decretis: cf. Charis. p. 22, 18 exc. Char. p. 539, 12 7 nihil] Terent. Andr. II 2, 28 eius] Terent. Heauton. tim. II 3, 46 anui B anuis Charisius p. 54, 31 8 libra] Verg. georg. I 208 9 apud Salustium] in historiis Priscian. l. VII p. 367, 6 10 aciei] aciei B 18 Horatius] carm. III 6, 43 reddidi carmen docilis modorum vatis Horati III 11, 51 nostri memorem sepulchro scalpe querellam 19 minorem B pauperis] Verg. bucol. I, 69

p. 128. 29 V.

nec spes libertatis erat nec cura peculi,

item

Parthenope studiis florentem ignobilis otii,

et alibi

hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
pro Horatii tugurii peculii otii Patavii.

De vocativo singulari. per omnes declinationes in latinis nominibus idem erit vocativus qui et nominativus, praeter graeca, quae et suis regulis serviunt et latinis, et praeter ea quae et secundae declinationis sunt et us terminantur. ea enim modo e, modo i vocativum determinant suum: 10 tunc i, cum us pura fuerit antecedente i littera et propria sint, non appellativa; ablata enim eadem us syllaba faciunt vocativum, ut Vergilius o Vergili, Terentius o Terenti: tunc e, cum ex his tribus vel unum defuerit, aut pura us, aut i antecedens, aut ipsa proprietas. excipitur unum filius: hoc enim, quamvis non sit proprium, tamen regulae pro- 15 priorum inrepsit et vocativum suum fecit o fili, sicut Iulius o Iuli.

De genitivo et dativo pluralibus. prima declinatio et secunda genitivum pluralem faciunt addita rum syllaba ablativo casui singulari, ut ab hoc poeta horum poetarum, ab hoc docto horum doctorum. hic tamen aliquotiens ornatus gratia vel metri necessitate vel consuetudine vetustatis 20 per *συγκοπήν* pronuntiatur. in prima quidem declinatione in his quae composita sunt, ut caelicolarum caelicolum, omnigenarum omnigenum: Vergilius

superoque nitentem

caelicolum regi mactabam in litore taurum,

idem

omnigenumque deum monstra et latrator Anubis.

amforae etiam non amforarum, sed amforum: ita enim semper esse dicendum iam inde antiquitus obtinuit. in secunda vero declinatione tantum cum sint generis masculini, ut virorum virum: 'arma virum ta- 30 bulaeque': modiorum modium, sicut Tullius ubique, sestertiorum sestertium. nam neque femi[ni]ni generis neque neutri nomina placuit hoc modo enuntiari per genitivum pluralem, ac maxime neutra, ne et hic fieret *συνέπτωσις* nominativi singularis, et essent iam non triptota, sed tetraptota, ut puta pro templorum templum, quod est nominativi et ac- 35 cusativi et vocativi. item utriusque supra dictae declinationis dativus et ablativus pluralis is syllaba terminatur, exceptis quae ambiguitatis causa discernendae contra rationem recepta sunt, filiabus deabus equabus mulabus, item ambabus duabus, domo domorum domibus. idque antiqui

1 nec] *Verg. bucol.* 1, 33 3 Parthenope] *Verg. georg.* IIII 564 otii] uti *B*
5 hic] *Verg. Aen.* I 247 20 consuetudine *B* 24 superoque] *Verg. Aen.* III
20 25 caelicolum *B* 27 omnigenumque] *Verg. Aen.* VIII 698 30 arma] *Verg.*
Aen. I 119 34 *συνέπτωσις* *B*

paene in omnibus faciebant, quae sub eadem finalitate in utroque genere nunc proferuntur, ut puta magni magnis et magnae magnis, pudici pudicis et pudicae pudicis, liberti libertis et libertae libertis. haec antiqui ob discernendum sexum in femininis magnabus pudicabus libertabus dicebant; sed a posteris illa tantum quae superius diximus in usu retenta sunt propter iuris necessitatem, quod omnem ambiguitatem auferre voluerunt ex testamentis atque legatis.

Tertiae declinationis ablativus singularis aut e aut i terminatur. i si fuerit terminatus, addita um syllaba facit genitivum pluralem, ut ab hoc
10 facili horum faciliū, forti fortium. e vero finito eodem casu modo e littera in um conversa fiet genitivus pluralis, ut ab hoc homine horum hominum, modo in i commutata et addita um, ut ab hoc colle horum collium, ab hoc monte horum montium. quando tamen e, quando i terminetur, technici vix distinxerunt, ideoque, ut ex illorum traditione colligere potui, quam potero paucis exponam. neutra omnia quae nominativo singulari a fuerint terminata et ablativo singulari e littera finiuntur eademque in um syllabam commutata faciunt genitivum pluralem, ut poema poemate poematum, emblema emblemate emblematum, plasma plasmate plasmatum. et sunt omnia huius modi graeca nullo alio genere
20 sub hac finalitate in tertiam veniente declinationem. qui autem poematorum emblematorum plasmatorum declinaverunt, vitiose et contra rationem locuti sunt, nec est eorum auctoritas admittenda, licet magni sint nominis. item omnia neutri generis e terminata et ablativo singulari i littera finientur et addita um syllaba facient genitivum pluralem, ut monile monili monilium, sedile sedili sedilium, praesepe praesepe praesepe.
25 | omnia nomina o terminata et ablativo singulari e finientur et eadem in u commutata et adsumpta m littera facient genitivum pluralem, ut hic Cato ab hoc Catone horum Catonum, haec virgo ab hac virgine harum virginum. nullum excipitur: nam pondo indeclinabile est; item
30 octo non solum indeclinabile, sed etiam numeri pluralis, et nunc de singulari loquimur nominativo. i quae terminantur indeclinabilia sive aptota seu monoptota sunt, eaque omnino duo tantum reperiuntur, frugi et nihili, et sunt generis omnis, hic et haec et hoc frugi, huius frugi, huic frugi, hunc et hanc et hoc frugi, o frugi, ab hoc et ab hac et ab hoc
35 frugi; similiter pluralia; eodemque exemplo hic et haec et hoc nihili.

Omnia al terminata, si peregrina fuerint, et ablativo casu e finientur et ea in um conversa facient genitivum pluralem, ut hic Annibal ab hoc Annibale horum Annibalum; si vero latina et neutri generis, ablativum in i mittent et addita um syllaba genitivum facient pluralem, ut hoc
40 vectigal [τὸ τέλος] vectigali horum vectigalium, bidental bidentali biden-

6 voluit B 11 litteram B 14 ideoque ut quod B 20 uenientem B
40 τὸ τέλος, sicut reliquas huius modi glossas graecas, eadem manu superscriptum habet B

p. 103. 31 V.

talium. omnia ei terminata, si peregrina fuerint, superiori regulae servantur; si vero latina, neutri generis erunt et tantum numeri singularis et in obliquis geminabunt litteram et ablativo e finiuntur, ut hic necamel ab hoc necamele horum necamelum; hoc vero mel ab hoc melle, hoc fel ab hoc felle. mella tantum triptoton est; vicit propter auctoritatem Vergilianam, 'mellaque decussit foliis', et alibi

mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

omnia il terminata masculina ablativum singularem in e mittunt eaque mutata in unam syllabam faciunt genitivum pluralem, ut hic pugil ab hoc pugile horum pugilum, vigil vigile vigilum. feminina praeter unum Tanaquil nulla sunt; hoc tamen ipsum eandem regulam servat. neutra quoque praeter unum nihil nulla sunt, quod tamen ipsum tres solos casus recipit, nominativum hoc nihil, accusativum hoc nihil, vocativum o nihil. ol nulla praeter unum sol terminantur, quod tamen ablativo casu singulari e finitur et ea in unam conversa genitivum facit pluralem, si tamen in pluralem numerum flectendum hoc nomen est, sicut omnium nominum *, nisi quando pro diebus ponitur, ut

tres adeo incertos caeca caligine soles.

omnia ul terminata ablativo casu singulari e finiuntur et ea in unam syllabam conversa faciunt genitivum pluralem, ut hic consul ab hoc consule horum consulum.

Omnia n littera terminata ablativum singularem in e mittunt et eadem in unam conversa faciunt genitivum pluralem, ut hic paeon ab hoc paeane horum paeonum, fulmine fulminum, Memnone Memnonum. delfin et Telchin Latini delfinus et Telchinus pronuntiare maluerunt, ne cogere-
rentur delfinibus et Telchinibus dicere. nam quod legimus

delfinum caudas utero commissa luporum,
potest συγκοπή esse pro delfinorum, sicut 'arma virum tabulaeque' pro virorum.

Omnia ar terminata masculina vel feminina ablativo casu singulari e finiuntur eaque in unam conversa faciunt genitivum pluralem, ut hic Caesar ab hoc Caesare horum Caesarum. neutra vero ablativo singulari i finiuntur et addita um syllaba faciunt genitivum pluralem, ut hoc lacunar [τὸ καλάρωμα] ab hoc lacunari horum lacunarium, hoc pulvinar ab hoc pulvinari horum pulvinarium. excipiuntur duo, far et lasar, quae masculinorum regulae serviunt.

3 littera B 5 vicit adscr. in marg. ΕΠΕΚΡΑΘΕΝ B 6 mellaque] Verg. georg. I 131 7 mella] Verg. bucol. 3, 89 10 pugilum] pugilum B uigilum] uigilum B 16 sicut omnino nunquam nisi coniecit editor Vindobonensis, excidisse videtur annotatio de nominibus elementorum plurali numero carentibus, inter quae sol refertur exc. Char. p. 550, 21 18 tres] Verg. Aen. III 203 20 faciant B 24 flumine fluminum corr. fulmine fulminum B 27 delfinum] Verg. Aen. III 428 28 arma uerum B: Verg. Aen. I 119 33 ut lacunar B 34 τὸ καλάρωμα editor Vindobonensis τὸ καλωδων B

Omnia er terminata, cum amissa e sine incremento genitivum singularem per ris syllabam proferant, in hanc commutata finali syllaba casus nominativi, ablativum singularem modo e finient eaque in um commutata facient genitivum pluralem, ut hic pater huius patris ab hoc patre horum patrum, haec mater huius matris ab hac matre harum matrum: modo i, et adsumpta um syllaba facient genitivum pluralem, ut hic imber huius imbris ab hoc imbri horum imbrium, hic uter huius utris ab hoc utri horum utrium. cum vero er manente finali is adsciverint syllabam, ablativum singularem e terminabunt eaque in um conversa facient genitivum pluralem, ut passer passeris passere passerum, anser anseris ansere anserum, pauper pauperis paupere pauperum, celer celeris celere celerum; sic et uber [οὐ̄δαρ] tuber [ὑ̄δον] giber [κύρωμα] et acer [σφένδαμνος], quando arborem significat, licet quibusdam haec acerus nominativo dici debere placeat; sic et piper cicer [ἐρέβινθος] aether siser aer, et siqua similia. omnia etiam quae ex nominibus derivata ter syllaba terminantur et feminina ex se faciunt tris syllaba terminata, ut hic equester haec equestris, campester campestris, paluster palustris, ablativo casu singulari i finiuntur et addita um syllaba faciunt genitivum pluralem, ab hoc equestri horum equestrium. acer et alacer [ὁ πρόθυμος] ablativo casu singulari i finiuntur et addita um facient genitivum pluralem, ab hoc acri horum acrium, ab hoc alacri horum alacrium, licet hic alacris lectum sit: Vergilius

ut videt

Aenean, alacris palmas utrasque tetendit.

sed melius est, immo rectius, hic alacer et haec alacris, ut hic acer et haec acris. inde enim etiam neutra hoc acre et hoc alacre, sicut campester campestris campestre, equester equestris equestre. praeterea etiam superlativi gradus regula hunc exigit nominativum, qui detractis syllabis ultimis duabus ad positivum redit, ut acerrimus acer, sicut asperrimus asper, nigerrimus niger, pauperrimus pauper. Iuppiter, cum sit ἐτερόκλητον, regulae minime subicietur, Iuppiter Iovis Iovi Iovem ab hoc Iove. omnia or terminata ablativo singulari e finiuntur eaque in um conversa facient genitivum pluralem, praetor praetore praetorum, actor actore actorum, Nestor Nestore Nestorum, arbor arbore arborum, cor corde cordonum, marmor marmore marmorum, aequor aequore aequorum. nihil excipitur. omnia etiam ur terminata eidem regulae serviunt, ut turtur turture turturum, augur augure augurum, fur fure furum, murmur murmure murmurum.

Omnia as terminata ablativo casu singulari e finiuntur eaque in um conversa faciunt genitivum pluralem, seu graeca fuerint seu latina, seu masculina seu feminina, ut Thoas Thoante Thoantum, dorcas dorcade dorcadum, anas [ἡ νῆσσα] anate anatum, mas mare marum, as [ἡ λίτρα]

14 ΕΡΕΒΙΝΘΟΣ B 15 siser expunctum est in B 23 ut videt] Verg. Aen. VI
684 41 ἡ νῆσσα] MNRCCA B

p. 133. 34 V.

asse assum, pubertas pubertate pubertatum, Maecenas Maecenate Maecenatum. neutra duo sunt, fas et nefas, monoptota trium casuum tantum. excipitur unum vas, quod singulari tertiae declinationis est, plurali vero numero secundae, hoc vas huius vasis huic vasi hoc vas o vas ab hoc vase haec vasa horum vasorum his vasis haec vasa o vasa ab his vasis. 5

Omnia es terminata, seu graeca seu latina sint, masculina aut feminina, ablativo casu singulari e finiuntur et ea in um conversa faciunt genitivum pluralem, ut paries pariete parietum, miles milite militum, heres herede heredum, Chremes Chremete Chremetum, abies abiete abietum, sedes sede sedum, merces mercede mercedum, nubes nube nubum, caedes caede caedum, rupes rupe rupum. 10

Omnia is terminata latina communia neutra in e venientia ex se generantia, ut hic et haec docilis hoc docile, ablativo singulari i finiuntur additaque um syllaba faciunt genitivum pluralem. quae si propria fuerint, ablativum singularem in e mittent, ut hic et haec cerealis et hoc cereale 15 ab hoc et ab hac cereali horum et harum cerealium, hic vero Cerealis ab hoc Cereale; sic et agilis amabilis vitalis, et siqua talia. huic regulae subiciuntur et quae a masculinis in ter exeuntibus feminino genere tris syllaba terminantur, equester equestris, paluster palustris, equestri equestrium, palustri palustrium. omnia is terminata latina, seu communis generis sine neutro seu cuiuslibet alterius generis, eundem habentia genitivum nominativo suo, ablativo singulari modo e littera finiuntur eaque in um conversa faciunt genitivum pluralem, ut hic et haec canis ab hoc et ab hac cane horum et harum canum, hic et haec iuvenis ab hoc et ab hac iuvene iuvenum, hic panis ab hoc pane horum panum; inter quae excipiuntur hic ignis igne ignium, navis nave navium, | orbis orbe orbium, 25 finis sine finium, crinis crine crinium: modo i, et addita um faciunt genitivum pluralem, haec puppis ab hac puppi harum puppium, turris ab hac turri turrium, securis ab hac securi securium, hic Liris ab hoc Liri, Fabaris ab hoc Fabari, Tiberis ab hoc Tiberi, et, ut dicit Plinius Secundus in libris dubii sermonis, hic salis ab hoc sali. quorum etiam 30 accusativi praeter salis contra propriam tertiae declinationis finalitatem non in em, sed in im syllabam veniunt, hanc puppim, hanc turrim, hanc securim, hanc restim [*ῥοῖνον*], hunc Lirim, hunc Fabarim, hunc Tiberim. similiter et funis ab hoc funi horum funium, accusativo tamen 35 per em, non, ut supra dictum, per im elato. attamen et ab hac puppe et ab hac turre et ab hoc fune et ab hoc sale dicimus. omnia is terminata quae in genitivo singulari crescunt ablativo singulari e finiuntur eaque in um conversa faciunt genitivum pluralem, ut hic cinis cineris cinere cinerum, pulvis pulveris pulvere pulverum, cuspis cuspidis cuspede 40

12 neutrum in e veniens *editor Vindobonensis* 18 et quia quae B feminini generis B 25 et ab hac om. B 30 ab hoc fabri B plenius secundus B

cuspidum, cassis cassidis casside cassidum, Samnis Samnite Samnitum, licet Salustius Samnitium dixerit. excipitur unum lis litis lite litium, non litum. omnia is terminata graeca, seu masculina seu feminina fuerint, ablativo singulari e finiuntur eaque in um conversa reddunt ex se
5 genitivum pluralem, ut Paris Paride Paridum, Daphnis Daphnide Daphnidum, Lais Laide Laidum, Thais Thaide Thaidum.

Omnia in os desinentia latina, seu masculina seu feminina vel communia, ablativo casu singulari e finiuntur eaque in um conversa faciunt genitivum pluralem, ut custos custode custodum, flos flore florum, nepos
10 nepote nepotum. neutra omnino duo sunt quae in os veniant, alterum producte, alterum correpte, ut os oris ori os ab ore ora orum oribus, item os ossis ossi os ab osse ossa ossuum ossibus. in os desinentia graeca, si crescant in genitivo singulari, supra dictae regulae serviunt, ut Eros
15 Erotis Erote Erotum, heros herois heroe heroum; si non crescant, magis propriae regulae quam latinae subiacebunt, ut Peneleos Penelei seu Peneleo, Androgeos | Androgei seu Androgeo: 'primusque Coroebus Penelei dextra' aut, ut alii tradiderunt, Peneleo; item 'in foribus
20 letum Androgei' aut, ut aliis placet, Androgeo. magis tunc secundae quam tertiae declinationis erunt huius modi nomina, cum ad latinam venerint regulam.

Omnia us terminata latina, masculina aut feminina, communia seu neutra, ablativo singulari e finientur eaque in um conversa facient genitivum pluralem, ut mus mure murum, palus palude paludum, laus laude
25 laudum, Venus Venere Venerum, crus crure crurum, pectus pectore pectorum, vellus vellere vellerum, grus grue gruum, vetus vetere veterum. nullum excipitur omnino. quin immo etiam graeca, cum huius erint declinationis, eidem regulae subiacebunt, Oedipus Oedipode Oedipodum, Melampus Melampode Melampodum.

Omnia nomina, quae b consonantem ante s semivocalem habebunt et
30 monosyllaba erunt, et ablativo e finientur eaque in i conversa et additum syllaba facient genitivum pluralem, ut haec trabs ab hac trabe harum trabium, haec plebs ab hac plebe harum plebium, si tamen in pluralem numerum flectitur, haec urbs ab hac urbe harum urbium, haec scrobs ab hac scrobe harum scrobium. et universa haec quattuor erunt supra
35 dicta, quamvis quidam his adnumerent nubs [νέφος] corbs [κόφινος] orbs, sed absurde meo iudiciolo, cum tanta auctorum adversentur exempla, in quibus hic corbis et hic orbis et haec nubes legimus. nam de scobis [τὸ πρίσμα] nominativo dubitatur, an haec scobs et non magis haec scobis habeat nominativum suum. item omnia nomina, quae conso-
40 nantem ante s semivocalem habebunt nec erunt communia, et ablativo

16 primusque] *Verg. Aen.* II 424 17 tradiderint *E* in foribus] *Verg. Aen.* VI 20 19 ad latina *B* 35 adnumerens *B* 36 sed absurde] id est absorde superscr. non inabsorde *B* 37 in om. *B*

p. 135—37 V.

casu singulari e finientur et ea in i conversa et addita um facient genitivum pluralem, ut mens mente mentium, dens dente dentium, mons monte montium, fons fonte fontium, frons fronte frontium, pons ponte pontium. | si omnis generis fuerint, ablativo singulari et e et i terminabuntur et aut e in i conversa aut i manente et addita um syllaba facient genitivum pluralem duplici modo, ut hic et haec et hoc prudens, ab hoc et ab hac prudente et prudenti, horum et harum prudentum et prudentium; similiter et participia. ubi p aut m antecesserit s semivocalem, ablativo singulari e finientur, eaque in um conversa genitivus erit pluralis, ut haec daps ab hac dape harum dapum, hic adeps ab hoc adipe horum adipum, haec ops ab hac ope harum opum, haec stips ab hac stipe harum stipum, haec stirps ab hac stirpe harum stirpum, haec hiems ab hac hieme harum hiemum. excipiemus ea quae sunt omnis generis, ut hic et haec et hoc praeceps biceps triceps: facient enim ab hoc et ab hac praecipiti bicipiti tricipiti, horum et harum praecipitium bicipitium tricipitium, et ab hoc praecipite bicipite tricipite, horum et harum praecipitum bicipitum tricipitum; similiter et hic et haec et hoc participes, ab hoc particeps et ab hoc participi, horum et harum participum et participium. ubi r antecesserit, et ablativo e finientur, et ea in i commutata et addita um fiet genitivus pluralis, ut haec ars ab hac arte harum artium, pars parte partium, sors sorte sortium, fors forte fortium, Mars Marte Martium, si in pluralem numerum aut hoc aut illud flectitur.

Omnia x littera terminata quacumque antecedente vocali seu consonante, nisi trium generum fuerint, id est eius quod omne dicitur, ablativum singularem e finient eaque modo in i commutata et addita um facient genitivum pluralem, ut fax falx [$\tau\acute{o}$ δρεπανον] lanx, face facium, falce falcium, lance lancium, nix nive nivium; modo in um tantum conversa eundem casum creabunt, ut rex rege regum, lex lege legum, grex grege gregum, salix salice salicum, cicatrix cicatrice cicatricum, calix calice calicum. si vero trium generum fuerint omni modo et ablativo i finientur et addita um syllaba facient genitivum pluralem, ut hic et haec et hoc fallax, ab hoc et ab hac fallaci, horum et harum fallacium, hic et haec et hoc felix, ab hoc et ab hac felici, horum et harum felicium, velox veloci velocium, atrox atroci atrocium, trux truci truciū. felix, quando proprium erit, ab hoc Felice, per e, non per i faciet ablativum, sicut et Iuvenalis Mar[tialis] Vitalis, ab hoc Iuvenale Martiale Vitale, et siqua similia.

Haec fere sunt in ablativo tertiae declinationis quae ad fixas et certas regulas redigi possunt; siquid secus repertum fuerit, auctoritati potius et consuetudini vel euphoniae quam rationi, quae ab illis superatur, adtribues.

8 similiter ut participia B 9 ablat. singularem e finitur B 10 ab hoc adipe horum adepum B 23 quacumque antecedenti B 25 commutata om. B

Quarta declinatio omni modo addita um ablativo singulari faciet genitivum pluralem, ut curru curruum, manu manuum. qui et ipse aliquoties in carmine συγκοπὴν patitur, ut est 'ille manum patiens' pro manuum, et illud 'quae gratia currum armorumque fuit 5 vivis' pro curruum sine dubio, quia infertur 'armorumque fuit'.

Quinta declinatio et ipsa addita rum ablativo singulari casum faciet saepe dictum, ut ab hac re harum rerum, ab hac acie acierum; nisi quod interdum apud antiquos in his quae es ultimam nominativi singularis puram habuerint r littera ablativo additae syllabae subducitur, et 10 facit genitivum pluralem per eum syllabas, ut speciem pro specierum, faciem pro facierum; sed modo non utimur hac enuntiatione.

Item tertiae quartae quintae declinationum dativus pluralis bus syllaba terminatur, sed in tertia et quarta i littera antecedente, ut patribus hominibus legibus urbibus praetoribus fluctibus curribus manibus portici- 15 bus casibus; praeter pauca utriusque [tertia quartae] declinationis, quae discretionis causa vel archaismi i litteram in u convertunt, ut partibus arcibus artibus. nam partes partibus, partus vero partibus; arces arcibus, arcus vero arcibus; artes artibus, artus vero artibus facient. item τῶ ἀρχαϊσμῶ lacus lacubus. item in tertia declinatione boves 20 boum bubus. item et quae neque i neque u, sed o praemittunt bus syllabae, ut duo duobus, ambo ambobus, quae tamen et anomala sunt ac sola reperiuntur. in quinta vero declinatione e producta semper antecedente, ut rebus spebus diebus aciebus. |

EXEMPLA DECLINANDORVM NOMINVM PER SINGVLAS FORMAS

Declinationis primae generis masculini hic poeta huius poetae huic 25 poetae hunc poetam o poeta ab hoc poeta hi poetae horum poetarum his poetis hos poetas o poetae ab his poetis, generis feminini haec rosa huius rosae huic rosae hanc rosam o rosa ab hac rosa hae rosae harum rosarum his rosis has rosas o rosae ab his rosis, generis communis hic et 30 haec advena huius advenae huic advenae hunc et hanc advenam o advena ab hoc et ab hac advena hi et hae advenae horum et harum advenarum his advenis hos et has advenas o advenae ab his advenis. formae secundae generis masculini hic bonus huius boni huic bono hunc bonum o bone ab hoc bono hi boni horum bonorum his bonis hos bonos o boni 35 ab his bonis, generis feminini haec pinus huius pini huic pino hanc pinum o pine ab hac pino hae pini harum pinorum his pinis has pinos o pini ab his pinis, generis neutri hoc templum huius templi huic templo hoc templum o templum ab hoc templo haec templa horum templo-

3 ille] *Verg. Aen. VII 490* 4 quae] *Verg. Aen. VI 653* corrum B
15 tertiae et quartae editor *Vindobonensis* 25 generis masculini nom. hic poeta —
et pluraliter nom. hi poetae B. item in reliquis numeri pluralis vel singularis et casuum
notas modo additas in B modo omittas constanter omisi

p. 138—40 V.

rum his templis haec templa o templa ab his templis. formae tertiae generis masculini hic rex huius regis huic regi hunc regem o rex ab hoc rege hi reges horum regum his regibus hos reges o reges ab his regibus, generis feminini haec frux huius frugis huic frugi hanc frugem o frux ab hac fruge haec fruges harum frugum his frugibus has fruges o fruges ab his frugibus, generis neutri hoc opus huius operis huic operi hoc opus o opus ab hoc opere haec opera horum operum his operibus haec opera o opera ab his operibus, generis communis hic et haec sacerdos huius sacerdotis huic sacerdoti hunc et hanc sacerdotem o sacerdos ab hoc et ab hac sacerdote hi et haec sacerdotes horum et harum sacerdotum his sacerdotibus hos et has sacerdotes o sacerdotes ab his sacerdotibus, | generis omnis hic et haec et hoc felix huius felicitatis huic felici hunc et hanc felicem et hoc felix o felix ab hoc et ab hac et ab hoc felici hi et haec felices et haec felicia horum et harum et horum felicitum his felicibus hos et has felices et haec felicia o felices et o felicia ab his felicibus. formae quartae generis masculini hic currus huius currus huic curru hunc currum o currus ab hoc curru hi currus horum curruum his curribus hos currus o currus ab his curribus, generis feminini haec manus huius manus huic manui hanc manum o manus ab hac manu haec manus harum manuum his manibus has manus o manus ab his manibus, generis neutri hoc genu huius genu huic genu hoc genu o genu ab hoc genu haec genua horum genuum his genibus haec genua o genua ab his genibus. haec antiqui etiam singulari numero sic ut masculina et feminina declinabant, dicentes huius genus et huius cornus et huic genui huic cornui. unde et Lucanus 'cornus tibi cura sinistra, Lentule, cum prima, quae tum fuit o. b. e. q. l. d.', et Livius ubique in historia; posteritas inter monoclita posuit. formae quintae generis masculini hic dies huius diei huic diei hunc diem o dies ab hoc die hi dies horum dierum his diebus hos dies o dies ab his diebus, generis feminini haec res huius rei huic rei hanc rem o res ab hac re haec res harum rerum his rebus has res o res ab his rebus. horum nominum genitivus et dativus singularis e paenultimam litteram modo productam modo correptam habent, productam, cum es syllaba nominativi casus singularis pura fuerit, id est non praecedentem habuerit consonantem, ut dies diei, acies aciei, correptam, cum praecesserit consonans, ut res rei, spes spei.

DE PRONOMINE

Vniversorum pronominum secundum Latinos generalis trina divisio est. aut enim finita sunt pronomina aut minus quam finita aut infinita. rursus finitorum alia sunt principalia, alia derivativa: finita principalia

25 Lucanus] *Pharsal.* VII 217 26 et libius B

tria, ego tu ille; finita derivativa V, numero singulari meus tuus suus, numero plurali noster vester, horumque feminina scilicet et neutra. minus quam finita VI, iste ipse hic is idem sui, item cum suis femininis et neutris. ex quibus idem et masculini et neutri generis est; sed in 5 masculino i producit, in neutro corripitur. sui casus habet III tantum, genitivum dativum accusativum ablativum, genitivum sui, dativum sibi, accusativum se, ablativum a se; et est omnis generis numeri utriusque. infinita VII, quis qualis talis quantus tantus quotus totus, cum suis videlicet femininis et neutris. his addunt quidam quot et tot, ex quibus 10 quotus et totus facta sunt, sicut a quis cuius et a noster nostras, a vester vestras, cuiatis nostratis vestratis, quae Graeci ποδαπός ἡμεδαπός ὑμεδαπός dicunt.

Quae ex pronomibus casum vocativum recipiunt? finitum principale secundae personae merito: ad hanc enim a prima dirigitur sermo pro- 15 fectus, tu, ut

tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,

a. m. f. c. dedisti.

item finita derivativa a prima persona venientia, quae quamvis a prima deducantur, secundae tamen obtinent locum, ut ad eas quoque iure ser- 20 mo profectus dirigatur a prima (nam in his quae ex secunda nascuntur * de his sermo non ad eas dirigitur), o mi vel o meus, o mea, o meum, o noster, o nostra, o nostrum: Terentius 'mi Pamphile', 'mi Phaedria', Vergilius 'proice tela manu, sanguis meus', Terentius 'mea Glycerium, inquit, cur te is perditum?', item alibi 'Thais mea 25 m. s.', alibi 'o noster Chreme'.

Quare, cum ille illa illud et iste ista istud neutra sua per d litteram faciant, ipse ipsa ipsum non per d, sed per m litteram facit? quia apud antiquos non solum ipse, sed etiam ipse dicebatur, et sicut meus mea meum, ita ipse ipsa ipsum fecit, non ipsud.

30 Quare ablativo casu dupliciter a quo vel a qui et a qua vel a qui, item dativo plurali quis vel quibus, a quis vel a quibus dicimus? quoniam apud antiquos non solum qui viri, puta qui iudices, sed etiam ques viri, ques iudices, nec solum quae feminae, sed etiam ques feminae dicebatur, ut iuxta regulam secundae et tertiae declinationis a quo 35 quidem quis viris, a qui vero quibus viris merito fiat: 'quis ante ora patrum' et 'quis neque mos neque cultus erat'.

16 tu quoque] *Verg. Aen. VII 1* aeneia] in ea B nutrix dedisti a. m. f. c. dedisti B 20 nascuntur] 'quae post hanc vocem sequuntur adeo evanida, ut amplius legi non possint, ea spatium octo vel novem litterarum expleant' editor *Vindobonensis* 22 mi Pamphile] *Terent. Andr. I 5, 51* mi fedria B: *Terent. Eun. I 2, 15* 23 proice] *Verg. Aen. VI 836* mea clycerium inquit B: *Terent. Andr. I 1, 107* 24 Thais] *Terent. Eun. III 2, 2* 25 o noster] *Terent. Andr. V 2, 5* 27 facit] faciat B apud anticus B 32 apud anticus B 'puta tribus punctis in codice notatur' editor *Vindobonensis* 33 sed etiam quae feminae B 35 quis ante] *Verg. Aen. I 95* 36 quis neque] *Verg. Aen. VIII 316*

p. 141 v.

Nomina similia pronomibus alius ullus nullus unus totus alter alteruter uterque neuter. horum feminina ac neutra genitivum ac dativum casus singulares eosdem habent, quos masculina, similiter ut pronomina, unde etiam similia his putantur: alia alius alii, ulla ullius ulli, nulla nullius nulli, una unius uni, tota totius toti, altera alterius alteri, alterutra alterutrius alterutri, utra utrius utri, utraque utriusque utrique, neutra neutrius neutri; similiter aliud alius alii, ullum ullius ulli, nullum nullius nulli, unum unius uni, totum totius toti, alterum alterius alteri, alterutrum alterutrius alterutri et cetera.

2 re] hac B 9 cetera. EXPLICIT DE PRONOME FELICITER BONO MILICHO ROMALCO B